c lia cum uino illita ad iumentorum ceruices exulceratas conducunt. Quinetiam luxatis eodem modo imponuntur.

EX GALENO.

Viti albæ ad omnia similis, nisi quod imbecillior.

EX PLINIO.

Asparagi eius in cibo urinæ ciendæ, lieniq; minuendo utiles. Radix ossa infracta efficacius extrahit quàm suprà dicta. Cæterum eidem peculiare est, quod iumentorum ceruicibus unicè medetur. Aiunt si quis in uilla extruxerit, fugere accipitres, tutasq; fieri aues uillaticas. Aliter eadem in iumento hominéq; flegma aut sanguinem qui screatur, talos circunligata sanat.

DE AMARANTO. CAP. XXXIIII.

NOMINA.

AMAPANTOΣ Græcis, Amarantus Latinis dicitur. Medicis & herbarijs nostræ ætatis ex amore & anthos dictionem cõponi credentibus, Flos amoris uocatur. Hanc appellationem usurpantes Germani, Flotamor nominant, aliàs Samatblům/ & Tausentschön appellatur. Amarantus autem non alio nomine dici cœpit, quàm quod flos eius nunquam marcescat. Hinc est quod puellæ hyemales sibi corollas ex eo cõficiant: id quod Erfordiæ, ubi non solum æstate, uerumetiam hyeme gestant coronas, fieri potissimũ solet.

Amarantus unde dictus.

GENERA.

Duplex est Amarantus: unus luteus, qui Dioscoridi ἐλίχρυσον, Galeno Amarantus, officinis & imperitis Stichas citrina, uel ut ipsi loquuntur, Sticados citrinum, Germanis Rheinblůmen/quòd in regionibus quæ Rheno adiacent, potissimum uero quæ intra Spiram & Vuormaciam sunt, proueniat: oder Mottenblům/oder Jüngling appellatur. Helichrysον dictum, quod ad solis repercussum comantib. in orbem florum foliis, fulgorem auri præ se ferat. Alter purpureus, qui hodie Flos amoris uulgò, & Germanis Flotamor/oder Samatblům uocatur, ut paulò antè à nobis dictum est.

Stichas citrina.

Helichrysον unde dictum.

Flos amoris.

FORMA.

Amarantus luteus qui Helichrysον alio nomine dicitur, uirgam habet tenuem, uirentem, rectam, solidamq;. Folia angusta ex interuallis, Abrotono similia. Comã orbicularem, auri modo fulgentem. Vmbellam rotundam, ueluti corymbos arescentes. Radicem tenuem. Ex qua descriptione planum fit eam herbam quam hodie officinæ solœcismo utentes Stichada citrinam nominant, esse Helichrysον. Est enim herba furculosa, exilibus ramulis, folio ut Hyssopus angusto, gustu amaro, & instar Abrotoni albicante: coma orbiculari, auri modo splendente: umbella rotunda ueluti corymbos arescentes: radice gracili. Et ut paucis dicam, non est nota quæ illi non aptissimè quadret. Purpureus uero pedali altitudine surgit, caule purpurascente, foliis Ocymo similibus, maioribus tamen & longioribus, spica purpurea, uerius quàm flore, inodora, qua nihil gratius aspectu cernitur.

Amarantus luteus.

Amarantus purpureus.

LOCVS.

Nascitur in asperis, sabulosis, siccis & conuallibus locis luteus. Alter autem in hortis & fictilibus seritur.

TEMPVS.

Helichrysum Iunio & Iulio mensibus floret. Amarantus uerò purpureus æstate, potissimũ autem Augusto mense.

TEMPERAMENTVM.

Luteus calidus & siccus hauddubiè est, id quod amaritudo in gustu & facultates eius abundè demonstrant. Purpureus autem recentiorum herbariorũ sententia frigidus est & siccus.

VIRES.

AMARANTVS LVTEVS.